

Pembroke 25 Sermo 24 (fols. 48r–50v)

.xxiiii. OMELIA . IN DOMINICA .iiii. IN QUADRAGESIMA .

Quicumque uult saluus esse . ante omnia opus est .
ut teneat catholicam fidem . Quam nisi quisque
integram inuiolatamque seruauerit . absque du-
bio in aeternam peribit . Fides autem catholica hęc
est . ut unum deum in trinitate . et trinitatem in uni-
tate ueneremur . Alia est enim persona patris . alia
filii . alia spiritus sancti . Sed patris et filii et spiritus sancti . una
est diuinitas aequalis gloria . coeterna maiestas .
Quia in hac trinitate . nichil prius aut posterius .
nichil maius aut minus . Sed tote tres persone
coeterne sibi sunt . et coequales . [i.] Quicumque
ergo cupit saluus et catholicus esse . haec teneat
et credat . et uita uiuet . Sed tamen post hęc si ad
caelestę regnum desiderat peruenire . contra dia-
boli insidias cotidie necesse est certare ; Paulo apostolo
dicente . Per multas tribulationes et temptationes .
oportet nos intrare in regnum cęlorum . Quia non sunt
/48v/ condigne passiones huius temporis . ad futuram gloriam
quę reuelabitur in nobis . Quandiu ergo fuerimus
in hac uita fratres karissimi contra doemonum aduersitates .
luctandum est nobis . Tribulatio enim in hoc mundo .
parui temporis est . ad comparationem caelestium
premierum sine fine manentium . Curramus ergo dum
tempus habemus . operimur bonum et `ad` omnes . et bo

num faciendo non deficiamus . tempore enim futuro metemur sine defectu . Cogitemus ergo in mente . quia licet mors non properaret . senectus cotidie succedit . Labantur anni . tempora fluunt . et omnia quę uidentur temporalia sunt et finem habent .

Ad extremum ergo karissimi . uolentes nolentesque cotidie properamus . Igitur considerare debent peccatores assidue . quam et qualem excusationem dicturi sunt in die iudicii ante tribunal domini . quando ceperit eis dicere . sedens in sede maiestatis suę . reddere rationem uitę suę . Ex tunc incipiet reos accusareⁱ . dicens eis . O homo . ego te manibus meis de limo terrę formaui et feci ; Ego terrenis artibus spiritum infudi ; Ego tibi imaginem nostram similitudinem que conferre dignatus sum ; Ego te in paradysi delicias collocaui ; Tu autem uitalia mandata contemnens . magis deceptorem sequi . quam dominum malisti . et tamen per misericordiam póstea proprio sanguine te redemi . Irridentium palmas et sputa suscepi .

A coetum cum felle bibiⁱⁱ . Postea in cruce mortem suscepi . ut tibi caelestem gloriam darem et in ęternum /49r/ uíueres mecum . Et tu pro his quid fecisti? Tunc respondebunt ei dicentes . Nesciuimus te domine . non uidimus prophetas . non misisti legem seculo ; Non didisti patriarchas ; Non uidimus sanctorum prophetarum exempla ; Petrus tacuit ; Paulus noluit predicare .

aeuangelistę non docuerunt nos . Martyres non fue

runt . quorum exempla sequeremur . Futurum iudicium
tuum nemo predixit . inscientia lapsi sumus . ignoran
tia peccaui . Tunc autem ex illorum sanctorum choro . iustus
noe primus reclamabit dicens . Non uerum dicunt
domine . quia ego super uenturum diluuium propter
peccata hominum predicauit ; Et post diluuium exempla
ex me prebui . ut recognoscerent quę esset salus
in gentibus . et quę poena peccatoribus . Post hunc
abraham fidelis assistet dicens . Ego domine fidem
qua humanum in te creditⁱⁱⁱ genus . media fere
istius mundi etate fundauit . Ego electus sum pater
gentium . cuius exempla sequerentur . Ego domine
unicum filium meum isáac non dubitauit offerre tibi
pro uictima . ut cognoscerent omnia tibi uoluntarię
prestare . Ego terram et cognationem meam iubente
te domine de serui . ut eis exemplum fieret nequi
tias mundi et peccata deférere . Iterum post hunc .
beatus moyses exsurget dicens . Ego domine legem
quam dedisti michi . istis omnibus iubente te^{iv} tradidi .
Ego dixi . Non occides . non nechaberis^v . non furtum
facies . Non loqueris falsum testimonium contra
proximum . Non concupisces rem proximi tui .
/49v/ Nec desiderabis uxorem eius . non seruum . Non ancil
lam . non bouem . non asinum . Nec omnia quę illius
sunt . Ego haec dixi . ut nemo concupisceret quod
non suum esset . Ego dixi . honora patrem tuum et ma
trem . ut sis longeuus super terram . Hic significatur

quod oboedientia filiorum parentibus . extendit uitam
suam super terram . Ego dixi . Diliges proximum tuum
sicut te ipsum . ut caritas habundaret inter unum
quemque hominem et deum . Ego hæc predicauit et multa
his similia . ut agnoscerent que uentura essent .
Post hunc stabit dauid dicens . ego nomini tuo
seruiendum esse clamaui . Ego dixi . Beatus uir
qui timet dominum . in mandatis eius cupit nimis .,
Ego dixi ; Exultabunt sancti in gloria . letabuntur in cu
bilibus suis . Ego regia dum essem peditus pótesta
te . Panem meum cum fletu miscebam . Vt poeniten
tiae atque humilitatis . prestarem eis exemplum .
Post hunc isaias ueniet dicens ; Ego dixi ; ue uobis
qui coniungitis domum ad domum . et agrum agro
copulatis . usque ad terminum loci . Numquid soli
uos possidebitis terram? Ego iram tuam peccantibus
uenire testatus sum ; ut a malis suis si non spe pre
miorum . saltim suppliciorum formidine cohibe
rem ; Post hos et multo plures . unicus dei filius
haec loquetur . Ego cum essem sublímis in excelso
throno . caelum terramque pugillo conclúdens . nasci
in carne dignatus sum . formam serui secundum humili
tatem accipiens . Ego sanitatem dedi omnibus
/50r/ infirmis . laeprosos mundauit . Mortuos suscitauit .
auditum surdis ; uisum caecis . uocem mutis . pedes
claudis restituit . Vt uos signis caelestibus in me
atque in his quae predicaueram crederetis . Ego

uobis regna caelorum promisi . atque ego pro uobis pas
sus sum . Né dubitaret homo pro se pati . quod deus
pertulisset pro homine . Et post resurrectionem . ne
fides uestra confunderetur . memetipsum discipu
lis ostendi . Cur ergo non inuenio in uobis ullum
opus bonum? Cúr infelíces poenitentiam malorum
uestrorum etiam sub ultimo die finis uestri non egistis?
Quid prodest quod labiis me honoratis . sí factis
et operibus denegastis? Ubi sunt uestrae diuitiae?
Vbi sunt uoluptates? Ubi ornamenta uestimentorum?
Ubi pulc`h`ritudines mulierum? Ubi pompa earum?
Ecce nunc habetis iudicium . quod ante predixi . Ecce
habetis uindictam . quam ante predicauí uobis . Tunc
míseri peccatores . superbi et auári . Iudices mali
et adulteri . Impii et heretici . fornicatores et men
daces . Dolosi et inuidi . malum pro malo reddentes .
Et iniuriam pauperibus facientes . munera super in
nocentes accipientes . Et inuicem se in hac uita
odientes . flebunt et lamentabuntur coram domino
una uoce dicentes . Miserere nobis omnipotens deus
et ignosce peccata nostra . Tunc respondebit illis
cum magna indignatione dicens . Discedite a me
maledicti in ignem aeternum . quia non fecistis
misericordiam dum fuistis in mundo ; nec ego misericors uobis .
/50v/ Tunc erit illis miserabilis recessio . quia numquam post-
ea commemorabuntur eorum nomina in sempiternum .
Tunc autem omnes sancti qui in sancta trinitate et unitate

perfecte crediderint . et precepta ac mandata dei . operibus impleuerint . Regnabunt cum christo fulgentes sicut sol in regno patris eorum . et deducet illos deus in caelestem patriam et dabit illis uitam aeternam . et coronam auream et perpetuam beatitudinem . et plenitudinem gaudiorum . cum choris angelorum . que nec oculus uidit . nec auris audiuit . nec in cor hominis ascendit . quanta et qualia sunt . que preparauit deus his qui diligunt eum . Haec omnia nobis prestare dignetur saluator mundi . qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat . per infinita secula seculorum amen .

- ⁱ accusare] *corr. from* accussare
- ⁱⁱ bibi] *corr. from* tibi
- ⁱⁱⁱ credet] *corr. from* credent
- ^{iv} te] *a following word* domine *expunged*
- ^v nechaberis] *corr. from* mechaberis